



330. e



Handwritten text from the adjacent page, including numbers and fragments of words:

Pr  
bi  
di  
üb  
bi  
2/2  
3/2  
4/2  
5/2  
6/2  
7/2  
8/2  
9/2  
10/2  
11/2  
12/2  
13/2  
14/2  
15/2  
16/2  
17/2  
18/2  
19/2  
20/2  
21/2  
22/2  
23/2  
24/2  
25/2  
26/2  
27/2  
28/2  
29/2  
30/2  
31/2  
32/2  
33/2  
34/2  
35/2  
36/2  
37/2  
38/2  
39/2  
40/2  
41/2  
42/2  
43/2  
44/2  
45/2  
46/2  
47/2  
48/2  
49/2  
50/2  
51/2  
52/2  
53/2  
54/2  
55/2  
56/2  
57/2  
58/2  
59/2  
60/2  
61/2  
62/2  
63/2  
64/2  
65/2  
66/2  
67/2  
68/2  
69/2  
70/2  
71/2  
72/2  
73/2  
74/2  
75/2  
76/2  
77/2  
78/2  
79/2  
80/2  
81/2  
82/2  
83/2  
84/2  
85/2  
86/2  
87/2  
88/2  
89/2  
90/2  
91/2  
92/2  
93/2  
94/2  
95/2  
96/2  
97/2  
98/2  
99/2  
100/2



*D. Ba brdt*

74 15

RECTOR  
ACADEMIAE LIPSIENSIS  
AD  
NATALIVM CHRISTI  
MEMORIAM  
SOLENNI ORATIONE  
D. XXV. DEC. A. N. C. CIOIDCCLXXIII.  
IN AEDE PAVLINA  
PIE RECOLENDAM  
INVITAT.

---

*De Psalmi VIII. vera sententia.*

15







Sic igitur redit dies illa solemnis, quae singularis, vel maximi beneficii nobis ad animum reuocat memoriam gratam. Illucescit iterum lux illa, qua ipsae coelorum cohortes summum terrarum incolis gratulantur praestantissimumque amoris diuini documentum, eumque mundi Seruatorem et huius vniuersi dominum venerantur et celebrant, quem quidem vident hominum induere naturam, eandem, quam habent eorum paruuli communem, σαρκος καὶ αἱματος κοινοῦντες Hebr. II. 14. hoc ipso vero eum non angelis opem ferre et auxilium, intelligunt, ἐπιλαμβάνεσθαι, sed posteritati Abrahae, σπέρμα Ἀβραάμ v. 16., tam ex Iudaeis, quam ex gentilibus. qui ad communem omnibus in Christo salutem vocati, eadem cum iis dignitate gaudent, vt sint τὰ Ἀβραάμ σπέρμα, καὶ κατ' ἐπαγγελίαν κληρονόμοι Gal. III. 28. 29. Non igitur inuidet nobis pii illi coelorum incolae insigne hoc decus et ornamentum illustre, quod per hunc ipsum Mariae filium, exaltatum ad dextram patris, terrae coelorumque summum imperantem, vel supra ipsam angelorum dignitatem euectum esse vident humanum genus, cuius ipsi principem adorant et caput supremum, cuius in imperio conspicuam mirantur et veritate comprobata illam mortalium dignitatem, quam splendidissimo carmine Dauides depraedicauit *Psalmo octauo.*

Prouocat ad eum Paulus I. c. ad Heb. v. 6., quo vero consilio, quo sensu, cum magnus adhuc sit inter Scripturarum interpretes *disensus*, me ipsum, fateor, diu saepe multumque fluctuasse, quorum a partibus stare me iubeat, non tam ecclesiae doctorum multitudo et auctoritas, quam veritatis euidencia, et exegeticorum grauitas argumentorum. *Alii enim totum hunc Psalmum ad Christum trahunt, cuius de duplici statu, tam humilitatis, quam gloriae, vaticinationem eo contineri existimant: eamque sententiam, HIERONYMI sine dubio autoritate ad nostra vsque tempora propagatam, nostratium fere plerique receperunt, et adhuc tuentur in Systematibus et Compendiis, vbi loci classici instar de hoc argumento habetur. Alii vero carmen laudatorium Dauidis eum esse arbitrantur, quo Dei tam maiestatem admiretur, in huius vniuersi fabrica mirabili conspicuam, quam singularem imprimis benigni-*

tatis aduersus humanum genus magnitudinem, qua, quamuis mortales sint, et angelis longe inferiores, ad tantam tamen dignitatem eueherentur et gloriam, vt omnia eorum subiecta sint imperio: Atque haec sententia inde a CLEMENTIS ALEXAND. iam aetate suos omni tempore habuit defensores, et adhuc habet bene multos, etiam inter nostrates, qui eam defendant, amicos. Non igitur alienum esse iudicauit, vel ab huius diei festiuitate, vel ab instituti praesentis scopo et dignitate, si de *utraque hac interpretatione*, quid mihi quidem sentiendum esse videatur, dicerem ingenue, ipsumque huius cantici argumentum paulo diligentius explicare, sine partium studio contenderem. Agam hoc tanto lubentius, meo ipsius exemplo edoctus noui, dubios quamplures, eam maxime ob causam, inter vtramque hanc dissentientium interpretum partem fluctuare, siue quod heterodoxiae suspicionem metuunt et opprobria, si in explicandis eiusmodi dictis, quae *classica* dicuntur, ab vsu recepta Doctorum opinione paulo discesserint; siue quod doctrinae christianae veritati, Christique gloriae quid detrahi verentur, si quem librorum V. T. locum, quo alii vaticinationem de Christo contineri censent, de eo agere insititari cogantur. Quo vero ordine procedant, quae agenda suscepimus, de ipso *primum* argumento huius Psalmi vero et proprio, ex accurata verborum eius consideratione statuamus et interpretatione, vnde tanto rectius *deinde* iudicari poterit, quae magis cum vsu loquendi, et sermonis serie consentiat interpretum opinio, quae expeditior sit, vt facilius omnia, siue ad Christum referri possint, siue ad hominum genus in vniuersum, eamque *tandem* cum Pauli imprimis, Christique ipsius consilio comparabimus et conciliabimus, quo locis ex hoc cantico citatis vtuntur.

Ab hac si quis discesserit allegatione, quae non vbique, vt multi quidem leuiter nimis opinantur, pro genuina tutissimaque dictorum V. T. interpretatione habenda est, totamque ipsius Psalmi compagem, sine praeconcepta opinione, in se considerauerit attente, *neminem facile de Messia, quemque potius de humano genere esse cogitaturum*, suspicor. Eo enim sponte lectorem quemcunque trahere videtur tota illa *laudis diuinae celebratio*, qua, quam sit illustris et admiranda maiestas illa et gloria Summi Numinis et Domini nostri, מֶה־אֲדִיר שִׁמְךָ, Dauides fatetur v. 2., quae ex splendidissima terrae vniuersae non tantum fabrica eluceat, כְּכֹר־רֶאֱצִים sed ex immensa etiam coelorum mole appareat, vbi Deus ipse conspicienda collocauerit suae virtutis laudisque argumenta celebrissima. Hoc enim dicitur: אֲשֶׁר תִּנְהַה הַיָּרֵךְ qui posuisti, collocasti gloriam

gloriam tuam, in coelorum regionibus spectandam, posito, Hebraeorum more, Infinitiuo illo irregulari pro Praeterito, quod habet Symmachus: *εταξας τον επανων*, Alexand. autem passiuè vertunt: *ετηξθη η μεγιστολογησεια*. Adspectabilem vero illam maiestatis diuinæ demonstrationem, adeo perspicue terrae coelorumque machinae inditam a Deo et impressam esse, v. 3. Propheta regius pronuntiat, vt vel *ex ipso tenellorum testimonio*, מפי עוללים וזונקים, quo eius adspectu commoti, mature aliquem diuinitatis sensum prodere solent, *firmissimum suae laudis praesidium sibi parasse* videatur: *עו יסדת איוו* vertit Christus ex LXX. Matth. XXI. 16. idque quidem *in aduersariorum suorum contumeliam*, למען צוררי, quo nimirum audacia hostium compescatur et temeritas eorum, qui vel Deum negant, vel prouidentiam, ac causae huius pessimae patrociniū suscipere et parare vindictam conantur: להשכית אויב ומתנקם. Transiit ab his maiestatis diuinæ *in natura rerum inanimata* documentis, ad *hominis praestantiam*, rerum creaturarum decus quidem summum et ornamentum, quod vero, intuendo immensam fere illam corporum coelestium regionem v. 4., sapientiae virtutisque diuinæ stupendum opus et artificium, מעש האצבעתך, adeo tenue et exiguum videtur vati diuino, suae ipsius sibi conscio imbecillitatis, vt non satis demirari possit singularem Summi Numinis, in exornando illo, et in curanda humani generis vniuersi salute et dignitate, prouidentiam. *Quid est miser homo*, ait v. 5. *quod vel meminisset eius et aliquam adhuc habeas rationem? aut soboles eius et vniuersa posteritas*, quae בן אדם nominari solet, *quod adeo tot eum tantorumque beneficiorum copia fueris dignatus?* de quibus communissime פקר vsurpatur. Paulo quidem, fatetur v. 6, *inferiorem eum fecisti angelis*, vt recte מאלהם LXX. vertunt, ex vsu linguae Psal. LXXXVI. 8. XCVII. 7. 9. eoll. Hebr. I. 6 i. e. priuasti eum quibusdam angelicae naturae virtutibus, immortalitate inprimis, de qua CLEMENS ALEX. hunc locum memorat, sua aetate fuisse explicatum\*). At vero *splendidiſſima* tamen eum *dignitate ornaſti et praestantia*, quae per *εν διαδυοισι* dicitur: כבוד ויהרר, tantaque in eum vsus es liberalitate prorsus diuina, vt

A 3

v. 7.

\*) Sic enim ait Strom. L. IV. f. 566. edit. Potteri: de Domino non accipiunt hanc scripturam, quantumquam ille quoque carne florebat, sed de quouis homine perfecto et gnostico, το χρονω και το ενδυματι ελαττομενω παρα τις αγγελους, qui inferior est angelis, tempore, quia mortalis est et post angelos creatus, et indumento, quia est carne vestitus, et corpore, quod dicitur ενδυμα; ex sententia interpretis huius loci Not. 9.

v. 7. terrarum dominum eum constitueres *תַּשְׁטִילֵהוּ* et eiusmodi operum tuorum administratorem, cuius *usibus et liberae potestati*, *תַּחֲטִיבֵיהֶן* *substantia sint omnia*, quae in orbe terrarum continentur, ut ait Moyses, ea inprimis omnia, quae adiecta v. 8. et 9. explicatione, inde a prima iam rerum constitutione, Deus ipse hominum imperio subiecisse commemoratur Gen. I. 28. c. IX. 2. ut bruta quaeque animantia, tam *terrestria*, quam *aquatilia* et *volatilia*, aliaque omnia, quae humanis sunt *usibus* apta.

Sic sponte fluunt omnia, et in humani generis praestantiam atque dignitatem, adeo largiter a Deo acceptam, apte conueniunt, ut vel haec sola *contextus facilitas*, et *verborum vis ac potestas*, singulorum in *super membrorum cohaerentia*, eam nobis sententiam magis commendare videatur, quam interpretationem eorum, qui siue hymnum ecclesiae in Messiam, siue tamen vaticinium de duplici eius statu, tam humilis quam glorioso, hoc carmine contineri existimant. Atque hoc est *alterum*, de quo dicere animo mecum constitui. Lubentius his quidem vellem additulari, et si fieri id posset sine veritatis detrimento, plura Christo Prophetarum vaticinia vindicare mallem, quam vnum aliquod, vel detrahere temere, vel deserere leuiter, quod de eo intelligendum esse, sat firmis posset rationibus probari, quae bonis non tantum mentibus sufficiant, procliuoribus ad fidem, sed his etiam, qui paulo difficilius tale quid sibi persuaderi patiuntur, et quae valeant etiam aduersus dissentientium obiectiones, et aduersariorum impetus. *Tales autem in hoc loco reperire me quidem non potuisse rationes exegeticas*, ingenue fateri malo, quam bonam Christi causam male tueri et in discrimen vocare. Dura enim nimis et contorta iam pridem visa fuit multis, non hostibus tantum euangelicae veritatis, sed amicis etiam et Scripturarum bene peritis, huius Psalmi vniuersi de Messia interpretatio, *primum*, quod ita non apte satis et commode singula cohaerere videantur, *deinde*, quod fere nihil eo contineatur, quod tanta gaudeat, siue verborum emphasi, siue rerum eminentia, quae vi sua ad Messiam nos trahat eiusque fata; quod *denique* in ipsis commatibus aliqua subinde reperiantur, quae apta sint et congrua, si de genere humano, incongrua, nec satis digna, si de Messia solo intelligantur.

Atque hoc nemo facile infitiabitur, qui sine patrium studio carminis *primum seriem, et membrorum*, quo inter se copulantur, *ordinem* considerauerit, in quo apte constituendo adeo dissentiant interpretes, ut *alii* ad Deum patrem referant omnia, alii ea tantum. quae a v. 4.

ad



ad 9. continentur, duo priora autem et vltimum ad Messiam spectare  
 censeant. In quo quamuis nihil sit ab vsu alienum, non tamen bene  
 cohaerent omnia, si a patris celebranda maiestate, in terrae coelo-  
 rumque regionibus vbique conspicua v. 2., ad praeconium Apostolorum,  
 quos infantum et lactentium nomine intelligunt, subito deueniret Da-  
 uides v. 3., ab eoque iterum ad coelorum fabricam rediret, tantaque  
 eorum abriperetur admiratione v. 4., vt *vel homines*, quos v. 5. voce  
 ארם alii intelligunt, si cum astris conferantur, aut tanta Dei prou-  
 dentia in vniuersum, aut filii sui missione speciatim, (cuius vero sic  
 ante nulla facta esset mentio), indignos declararet, *vel ipsum adeo Mes-  
 siam*, de quo alii solo hoc comma interpretantur, vt inquam, eum  
 ipsum, in hac cum sideribus comparatione, vix diuina dignum prouiden-  
 tia, immo angelis inferiorem v. 6. diceret, eundemque tamen dominum  
 omnium rerum v. 7., brutorum maxime animantium v. 8. 9. fateretur  
 esse constitutum. Quae an bene secum cohaereant? iudicet aequus  
 quisque rerum aestimator. Nec facilior fit et expeditior nexus rerum,  
 si initium carminis et finis ad Messiam, pars media ad Deum patrem re-  
 feratur. Nam sic etiam *cohaerentiae difficultatem* sentiunt, quibus ea  
 placet opinio. Quam ob causam tantopere laborant in quaerendo ser-  
 monis nexu, vt cogantur ad tropicam confugere interpretationem, in  
 qua HIERONYMVM plerumque ducem sequuntur. Coelos enim, di-  
 cunt, figurata oratione significare v. 4. Christum exaltatum et in coelos  
 euectum, siue ex HIERONYMI sententia, coelorum nomine Script. S.  
 venit, lunae autem et stellarum, ecclesia eiusque Doctores. At ne  
 vero ex improuiso nimis et inopinato Messiae mentio fieri videretur,  
 magnificentiam supra coelos eleuatam v. 2., de resurrectione Christi in-  
 telligunt, et robur ex ore lactentium v. 3. de Euangelii per Apostolos  
 praedicatione. Ecquis hic tandem miretur, imaginacionis in fingendo  
 facilitatem potius, quam iustae interpretationis veritatem, deprehendere  
 adeo multos, immo ridere, aut fastidire eiusmodi ingenii lusus? cum *vis  
 natia* verborum longe faciliorem pariat sententiam, et sponte fluat  
 scriptoris diuini oratio, si eandem sequamur.

Fieri autem hoc debet vbique locorum, *ubi non tantae fuerint  
 potestatis dictiones, tantaeque dignitatis et eminentiae praedicata, vt iu-  
 beant de nobiliori aliquo orationis obiecto cogitare, aut figuratam adsciscere  
 cogant verborum explicationem.* Haec talis vero nulla hic existit *urgens  
 necessitas.* Atque hoc est alterum illud, quod suo quodam iure vrgent,  
 qui de humano genere potius, quam de eius capite Messia, hunc agere

Psalmur-

Psalmum contendunt. Nulla enim, dicunt, in eo dicta reperiuntur, quae sua nos vi trahant ad sublimiorem, quaerendum sensum, et de Messia cogitare iubeant. De hoc supremo terrae coelorumque Principe, ubique sermo instituitur in Prophetarum vaticiniis, tanta in singulis plerumque dictis efficacia inesse solet atque sublimitas, e. g. Esa. II. 3. 4. c. VII. 14. c. XI. et pluribus in locis, ut angustiorem, quam patet, sensu accipienda essent omnia, neque tota eorum *exegesis* exhauriretur, si in solo subsisteremus *seru* litterali. In hoc autem Psalmo, quis non videt, tantam esse Dauidici sermonis aequalitatem, cum suo ipsius et alias sibi proprio dicendi more, ut prorsus eandem loquendi formulam, quam hic v. 5. de Messia intelligunt, de humano genere adhibeat ipse, Psal. CXLIV. 3., suorum verborum optimus interpres, qui eandem sententiam, mutatis tantum verbis profert, posito וְרַע pro וְכָר, et וְכָר loco וְכָר, quid est homo, quod eum cognoscis, aut amas tantopere? et filius hominis, quod adeo de eius cogitas salute? Sic pariter in delineando illo imperio, quod de Messia hic praedicari existimant, iisdem fere Dauides dictionibus utitur, quibus Moses traditum a Deo generi humano dominium in res creatas describit Gen. I. et IX. quo etiam adhuc homines, pro sua cuiusque sorte, conditione et potestate, sic gaudent, ut constituti a Deo operum eius domini merito dicantur et ministratores. Habet quidem hoc aliquam iustae dubitationis speciem: an recte de concessio hominibus dominio dici possit v. 7. כֹּל שָׂרָה כֹּל תְּהוֹתֵי רִגְלוֹ, omnia liberae eorum potestati Deus subiecit? Norunt autem linguarum periti usum *particulae* כֹּל et παντα, quae in sacro etiam Codice non absolutam ubique vniuersitatem significat, cuius hic insuper scriptor ipse diuinus, *interpretatione*, quam dicunt *restrictiuam*, sic modum definiuit et terminos, ut ad eas potissimum res referatur v. 8. 9., quas nunc etiam hominibus subiectas videmus, oves nimirum et boues, ubi כֹּל omnia illa, extat adiectum, quo כֹּל praecedens palam satis restringitur.

Hoc ipsum vero ad *postremam* me ducit rationem, qua haud parum probabilior eorum effici sententia videtur, qui de humano genere, quam qui de Messia hunc Psalmum interpretantur, quod scilicet aliqua in eo occurrant, quae apta sint et congrua, si de homine, non satis digna vero et decentia, si de Messia intelligantur. Supremus enim ille coelorum creator et dominus, cuius magnitudini omnia cedunt et post habenda sunt, nullo fere modo cum lunae, reliquorumque siderum praestantia *decenter* sic potest conferri, ut hominum certe eorumque sobolis v. 4.

et

et 5., cum corporum coelestium immensa regione et magnitudine, comparationem Dauides instituit. Immo si humanae tantum Christi naturae imbecillitatem spectasset, ne sic quidem digna θεωνόμοις videretur talis coelorum admiratio, vt relata ad eorum decus et ornamentum, misera Messiae hominis conditio, parum habenda dici possit, et vix digna, cuius memor diuina sit prouidentia. Sic etiam non satis digna videri posset *arte nimis definita* illa Messiani, quod hic quaerunt v. 7. 8. 9., imperii delineatio, quae ad bruta maxime animantia refertur, eum summae Iesu Christi potestati subiecta esse sciamus, quae terrae coelorumque ambitu continentur omnia, vel ipsos adeo angelorum exercitus. Quam quidem sermonis *difficultatem* sic tollere *allegorici sensus* studiosi contendunt, vt *mysticam animalium interpretationem* \*) hic adhibendam esse censeant, quae risum Scripturarum contemtoribus, amicis bilem posset mouere. Alii quidem eo non procedunt dementiae, sed ita potius hanc remouere difficultatem student, vt causam dicant, cur ita describatur Messiae imperium, eam esse, vt vel ad minima quaeque illud se extendere, tanto clarius quisque intelligeret. Quis autem haec animantium fere omnium genera in minimis ponat? aut huc Dei spectare consilium, ex eorum commemoratione intelligat? Numquid Paulus illud forte ignorauit? aut quae quaeso alia fuit causa, cur in facta huius dominii commemoratione Hebr. II. 7. haec ipsa verba omitteret? quae sunt adeo manifeste ad *Mosaicam dictionem*, de concessio hominibus imperio, comparata, vt vix dubitari queat, hanc ipsam ob causam ea silentio praetermississe Apostolum, quod Christum haec verba parum decere sentiret, ad quem tamen hunc Psalmi locum transferre constituisset.

Atque hoc ipsum est *tertium* illud, de quo adhuc erit dicendum, idque quidem *praecipuum* huius, de qua agitur, *causae momentum*, in quo cardo rei vertitur, quo tota nititur interpretationis huius Psalmi veri-

\*) Duce in ea HIERONYMVM plerique sequuntur, qui Comment. ad h. l. *oues et boues* ait, animas sanctorum significant, *pecora campi*, inferioris meriti homines, *volucres*, qui per superbiam iniquitatem in excello loquuntur, *pisces*, qui per nimiam curiositatem, non contemplantes coelestia, inter huius seculi fluctus, putant esse vitam aeternam; quae parum profecto Scr. S. conueniunt dignitati, et debitae illi reuerentiae.

veritas, quae consentire omnino debet cum Pauli Christique ipsius consilio, quo allatis ex eo locis utuntur. Hoc enim vel maxime considerandum, ubicunque V. T. oracula in N. T. volumine laudantur, et ex orationis cuiusque aut recensionis, ubi tale quid occurrere videmus, scopo nexuque inuelligandum esse censeo consilium, neque temere existimandum, quod omnia eodem prorsus genuino sensu litterali, quo extant in V. T., excitata sint ubique loca in N. T. scriptis. *Malta enim eorum non tam probandae vindicandaeque veritatis, quam eius illustrandae causa, per modum quem dicunt, accommodationis, sic adhibentur, ut haec talis allegatio non sit interpretationis, sed usus et admonitionis loco habenda, qua dicta gestaue pristinorum temporum, recentioribus similia, seruandae eorum memoriae causa, in animum reuocantur* \*). Immo vel ipsae formulae: *ὡς πληρωθῆ ο ερχοφη*, aut *το εηδεν*, nihil aliud subinde quam *similem* aliquem, qui nunc iterum contigit, euentum significant e. c. Matth. II. 15. 17. 23. de quo *πληρωθαι* haud raro vsurpari solet.

Sic

\*) Bene de hoc more, vsu inter Iudaeos recepto Christi et Apostolorum temporibus, eiusque vtilitate, disserit Ven. D. ZACHARIAE Theol. Bibl. P. I. p. 133. seqq. ubi inter alia hoc monet: *außer den Stellen des A. T., welche die Schriftsteller des N. T. zu Beweisen allgemeiner Wahrheiten der Glaubens- und Sittenlehren anführen, giebt es noch einige unter denen auf Christum angewendeten Stellen, die im A. T. nicht eigentlich von ihm handeln. So sind auch andre Anführungen der Schriftstellen des A. T. im N. T. nicht eigentliche Beweise, sondern öfters nur Anwendungen gewisser, von einer andern Sache im A. T. gebrauchter Ausdrücke auf eine andre Materie, von welcher im N. T. geredet wird — Es ist auch dieses gar nicht zu verwundern, und folglich nichts dem Anschein der heil. Schrift, und der durchgehenden Richtigkeit ihres Inhalts nachtheiliges, da es eine bekannte Gewohnheit der Juden ist, mit Worten des A. T., wo sie können, zu reden, auch wo sie gerade nicht von eben der Sache reden, als im A. T. — Man hat zwar, zur Verhütung des Mißbrauchs solcher Accommodationen, den mystischen Verstand erdichtet und übertrieben: Es rührt aber dieß bloß aus einer falschen Besorgniß her, und veranlaßt Erklärungen, welche alle Auslegung des A. und N. T. höchst ungewiß machen — So giebt es auch Vergleichenungen ähnlicher Begebenheiten des A. T. mit gewissen Begebenheiten des N. T., die der Hebräischen Denkungsart so gemäß sind, daß sie eben deshalb noch eine ganz andre Verwandniß haben, als die bloßen Accommodationen —*

Sic Christus ipse huius Psalmi commate 3. vtitur Matth. XXI. 16. vt *generalem* eius sententiam, de efficaci paruulorum testimonio ad confundendos diuinitatis hostes, ad se *speciatim* et casum praesentem transferat. Opportunam enim ad hoc agendum occasionem ei suppeditant Pharisei, qui similis se reos agunt imprudentiae et temeritatis, in negligendis, vel adeo hostiliter impugnandis Messiae caracteribus, eiusque diuinae legationis signaculis, in ipso palam satis hic quoque conspicuis, ac illi solent committere, qui tot tantaque diuinitatis documenta, quae aequae palam extant in vniuerso naturae regno, vel contemnunt leuiter, vel temere negant, etiamsi aequae firmum iis repugnet puellorum de Deo testimonium, quam quod hic Christo exhibent, laetum illud Hosanna acclamantes. Offenduntur his dignis Messia laudibus eiusdem humilitatis contemptores, cumque admonent, vt tantos, quos eum non decere existimant, honores admittere recusaret: *ακούς α ετοι λεγεις*, audisne quae illi dicant? quam sint offensionis plena, quae ferre non decet? Ad haec Christus *να*, inquit, sic est vtiq; bene ea percepti, lubenterque eam admitto, immo iuste mihi vindico laudem. Non casu enim, sed sapientissimo Dei consilio eam mihi ab his paruulis tribui, vel ex eo potestis facile suspicari, quod Deum nostis, a Dauide id edocti, ex eorum ore firmissimam sibi parasse laudem: *εδεποτε ανεγνωτε* — numquid nunquam legistis, quod vel ipsum tenellorum de se testimonium, in suae laudis praesidium Deus adhibere soleat, hostium suorum causa, quo ad silentium redigantur, ab infantibus pudefacti? Atque hoc tale laudis praeconium iam sibi quoque ex eorum ore a Deo, rem ita dirigente, esse paratum, ex laudato hoc Psalmi loco intelligere quidem Pharisei eumque ad Christum transferre debebant: Saluator ipse vero diserte nullam eius instituit, siue ad semetipsam, siue ad suos aduersarios, accommodationem, ideoque haec ipsa carminis verba: *propter inimicos tuos*, ne nimis eos irritaret, prorsus omittit. Cum igitur adeo caute hoc Psalmo Christus ipse vtatur, nec eum de se vaticinari adserat, quamuis hic illi quaestio moueretur: an recte eum v. 11. pro Messia populus declarasset? quod facile clarius potuisset explicare, adhibita formula, alias sibi solemniter: *εδεποτε ανεγνωτε το περι εμς εηδεν*: Quo quaeso iure nos aliquid de Christo vaticinium ex hoc loco cogere auderemus?

Longe maiori iure hoc confici posse videtur ex *usu huius Psalmi Paulino*, quo plus simplici vice Christo diserte tribuit ea, quae v. 7.

dicuntur: omnia pedibus eius subiecisti 1 Cor. XV. 17. Eph. I. 22. Ita vero alia plura, quae de Iosepho, Simfone, Gideone, Dauide aliisque in V. T. libris dicta aut facta commemorantur, per *allusionem*, quam dicunt, ad Christum referri solent, et recte possunt, quae tamen nec *typi* quidem, nedum *vaticinii* loco sunt vbiuis habenda, vbi ab ipsis etiam Apostolis, mos ille, inter Iudaeos vsu receptus, adhibetur. Ex sola igitur hac formula, quod omnia sint pedibus Christi subiecta, ego quidem, de eo agere hunc Psalmum, probare non ausim.

Quidni vero idem ille Apostolus integrum hunc locum v. 5. 6. 7. ita ad Christum transfert Hebr. II. 6 — 8., ut in eo dicat v. 9. totam eius vim conspicuam apparere? Ita est certe, neque hoc quisquam facile infitiabitur, eamque ob causam nec hoc adeo grauiter in aliis ferre iisque crimini dare poterit iuste, quod hac tanta veritatis specie commoti, nimis facile sibi persuaserunt, *toto Psalmo* veram de Christo vaticinationem contineri. Haec enim sententia summa vtique se probabilitatis specie ex hoc Pauli loco commendat, qua probus quisque oraculorum diuinorum interpret tanto facilius in eam trahi opinionem potest, quanto lubentius vbiq; de Christo cogitare solet, deuotus illi animus. Atque hoc ipsum mihi sic pariter euenisse, fateor ingenue. Neque tamen libere hoc etiam profiteri vel erubescere, vel timeo, quod suavis illa, quae animum ceperat, opinio, vacillare subito coeperit, tandemque penitus fere expirauerit, quamprimum vniuersam Paulini sermonis seriem paulo attentius, et praeconcep̄ta nulla impeditis opinione, considerauit. Ex ea enim intellexi *nexum, quo comma sextum cum quinto* sic copulatur, ut *non angelis, sed hominibus potius, illis licet multo inferioribus, orbem terrarum temporibus N. T. subiecisse Deum*, ex Psalmo VIII. euincat Apostolus, vbi dicitur: *τι ἐστὶν ἀνθρώπος* — Haec palam satis in textu extat *oppositio*, eandemque confirmat vis argumentationis ex antecedentibus, quae ita se habet: si V. T. doctrinam, *δι' ἀγγέλων κληθέντα λόγον* v. 2. quam ab angelis sibi traditam esse, tantopere Iudaei gloriabantur, adeo seuera Deus vindictā ratam fecit; quanto maiori tuebatur saluberrimam N. T. doctrinam, quam vel ab ipso angelorum Domino acceptam v. 3. *ἀρχὴν λαβῆσα κληθεῖσθαι διὰ τῶν κυρίων*, vel tamen miraculis ab eo confirmatam habemus? Ratio huius consequentiae per se quidem clara est, quod maior sit doctrinae dignitas, ab ipso Domino traditae, quam per angelorum ministerium. Ob praedicatas vero Iudaeorum opiniones, de angelorum praestantia et Messiae humili

humili in terris sorte, quam c. I. iam deiecit Apostolus, ea insuper  
 liquius veritatis adiungitur probatio v. 5., quod his *Messiae temporibus*,  
 quae dicuntur *τα μελλοντα*, prorsus nulla angelis potestas in terrarum or-  
 bem sit a Deo concessa: *α γαρ αγγελοις υπεταξε την οικουμενην την μελ-  
 λουσαν, περι ης λαλουμεν*. Cum vero de eo etiam dubitare adhuc pos-  
 sent Christiani ex Iudaeis, de angelorum ministerio, frequentissimo olim  
 in V. T., magnifice nimis cogitare soliti; vindicandae huius etiam sen-  
 tentiae causa iis in animum reuocat v. 6. quod satis notus iis et fide di-  
 gnus autor aliquis, Dauides nimirum, loco quodam inter omnes peruul-  
 gato, Psalmo octauo: *διεμαρτυρητο δε πε τις*, eandem, quam ipsi ange-  
 lis tribuebant, potestatem in orbem terrarum, hominibus potius di-  
 ferte vindicauerit, et noua promissione, Mosaicis adeo verbis repetita,  
 insigni cum laudis diuinae celebratione confirmauerit, *διεμαρτυρητο*.  
 Sic enim fando, admiratus est singularem illam Dei, in hominum genus  
 indignum clementiam: *τι εστιν ανθρωπος — η υιος ανθρωπου* — quid  
 est miser ille homo, adeo peccati labe infectus, cuiusque soboles et  
 posteritas, aequae contaminata? quod tanto eos adhuc tamen dignaris  
 beneficio, ut, quamuis pristina dignitate destituta sit eorum natura, et  
 longe inferior facta angelis v. 7. *ηλαττωσας αυτον βραχυ τι παρ αγγελ-  
 λης*, quoad breue illud, quod sua sibi culpa contraxerunt, mortalitatis  
 tempus adhuc durat, ut pristina tamen illa dignitate eos in posterum  
 etiam perpetuo velis ornare: *δοξη και τιμη εσεφανωσας αυτον*, qua ab  
 initio iam fuerunt terrarum domini constituti, et operum tuorum ad-  
 ministratores: *κατεσησας αυτον επι τα εργα των χειρων σου*, quorum  
 potestati et vsibus subiecta sint omnia v. 8. *παντα υπεταξας υποκατω  
 των ποδων αυτου*.

Ex hac igitur sermonis cohaerentia satis, ut opinor, superque  
 intelligimus, quod *angelis*, ad tanto magis extenuandam et deprimen-  
 dam eorum dignitatem in imperio mundi, quod iis perperam vindicari  
 Iudaeis imbuti opinionibus solebant, *homines opponantur, adeo miseri et  
 mortalitate illis longe inferiores*. His pristinum in orbem terrarum  
 dominium, non obstante eorum vel vitiositate, vel moriendi necessi-  
 tate, a Deo adhuc esse confirmatum, et repetita promissione in poste-  
 rum etiam sancitum; ex Psalmo octauo probatur, eoque efficitur, *ho-  
 mines, non angelos, esse terrarum dominos, ab ipso Deo constitutos*. Hoc  
 ipsum vero, quo minus ea de re vel dubitent leuiter, vel temere su-  
 perbiant Christiani ex Iudaeis, sed potius, cui soli tantum hoc debeant  
 bene-

beneficium, humiliter intelligant, eoque tanto cautius vti discant, ex ipso *Christi*, humani generis supremi capitis *exemplo*, vberius probatur, et clarius illustratur, per *occupationem* v. 8. quae vix locum haberet, si ante allata Psalms verba, ex Pauli sententia, de *Christo* iam essent intelligenda. Urget enim Apostolus *vim particulae παντα*, ex qua infert: *εν γαρ το υποταξαι αυτο τα παντα, εδεν αφηκεν αυτο ανποτακτον*, si omnia essent hominibus subiecta, nihil Deus reliquisset, quod non esset eorum potestati subiectum. Iam vero, pergit, *ων δε οπω ορωμεν αυτο τα παντα υποτεταγμενα*, nondum videmus omnia ei esse subiecta, excepto nullo. Haec si ex vera Psalms sententia *Christo* esse promissa, credidisset Apostolus, numquid vel serio dubitare, vel eam iure sibi fingere obiectionem potuisset; vtrum illi vere iam subiecta esse omnia, palam satis appareat? Compertum enim hoc certe habuit, aequae ac nos illud habemus exploratum, de qua re *εξαν* frequenter, vt v. 9. *το βλέπειν* etiam adhibetur. Oculis quidem videre hoc *Christi* imperium non potuit; idem vero nec nos possumus, nec vnquam hoc sensibus percipi potest. Ideoque nec de eo dubitauit Apostolus, aut si dubitationem eam moueret, illi tamen non conueniens esset responsio v. 9. Hic enim *diserte Christum opponit homini*, cui necdum subiecta videri omnia dixit v. 8. Illi soli hanc ipsam vindicat dignitatem, quam Psalms octauo declarauit, hominibus promissam aut vere esse, aut tamen videri. *In his* enim ait, *οπω ορωμεν τα παντα υποτεταγμενα*, nec dum videmus conspicuum hoc comparere, cui omnia subsint, imperium. *Iesum autem videmus*, pergit v. 9. *τον δε βραχυ τι παρ ανγγελος ηλατταμενον Ιησυν δια το παθημα θανατου*, paullo quidem angelis in eo inferiorem, quod morti esset obnoxius, *οπως χαριτι θες υπερ παντος γενηται θανατου*, adeo, vt ex gratiosa Dei voluntate et singulari in eum amore, diuissimae mortis pro omnibus supplicia in se sponte susciperet; *hunc* inquam certo nouimus, *βλεπομεν δοξην και τιμη εσεφανομενον*, ad hanc ipsam imperii in omnia maiestatem euectum esse et gloriam, quam in humano genere hucusque desiderari quisque intelligit. In hoc igitur supremo hominum Principe palam apparent conspicua eorum omnium documenta insigniora, quae de eorum vel infra angelos posita conditione, vel eminente supra angelos dignitate, adeo magnifice Dauidico carmine praedicantur, vt plenam eorum *vim*, particulae inprimis *τα παντα* potestatem, non nisi in *Christo* videamus impletam.

Atque



Atque sic utique *de hominibus sensu literali* in eo sermonem esse, Apostolus ipse hac argumentandi ratione confirmat. Idem vero haec ipsa simul fatetur, *eminentiori quodam sensu* ad Christum referenda esse et de eo intelligenda, quae nec dum omni modo in hominibus impleta cernuntur. In Christi enim imagine, dicit, et exemplo veritatem videmus supremi illius in omnia imperii, quod hoc Psalmo, *suae promissum* extat humano generi, siue de eiusdem simul capite *praenuntiatum spiritu prophético*. Vtrumque locum habere posse, mihi quidem videtur. Vtrum vero eorum sit alteri praefarendum, nec Paulus definiuit, nec mihi hoc sumere ausim. Vnde enim Dauidem hoc ipso tempore, cum hoc carmen scriberet, *εν προφηται* de Messia simul cogitasse, quod quidem praesumendam esse videtur, certo probari posset? Hoc interea est extra dubitationis aleam positum, quod *diuino ita factum sit consilio*, vt decantatum illud a Dauide humani generis dominium, cui omnia debent esse subiecta, in Christo eius capite impletum videamus. Hoc ipso igitur Dei consilio sic illud delineauit Propheta, quamuis ipse eius sibi fortasse non conscius esset, vt comode *sensu imperfectiori* de hominibus intelligi, *perfectiori* autem, ad Christum simul posset transferri. Quare parum refert mihi videtur: vtrum *sola dignitatis promissionem*, humano generi factam, et in Christo eius Principe, ex consilio diuino, sensu eminentiori impletam, hoc Psalmo contineri dicamus? an simul *latens aliquod sub hoc schemate vaticinium de Christo* subesse credamus? cuius difficilior est probatio. Vtroque enim modo oraculi huius diuini in Christo veritatem videmus et complementum, eumque esse verum illum Messiam intelligimus, in quo solo omnes Dei promissiones, siue ad eum *immediate*, siue *mediate* eo ad homines pertineant, *το νοι* sunt *εν αυτο*, *και εν αυτο το αμην*, i. e. ratae sunt certaeque, ita, vt verissimo semper exoptatissimoque euentu comprobentur, 2 Cor. I. 20.

Illusterrima eius veritatis documenta his festis diebus, natalium Christi memoriae sacris, in hac ipsa promissi Seruatoris et quam diuittissime expectati missione, iucundissima nobis omnibus et saluberrima, extare videmus. Haec summa est omnium Dei promissionum et veluti centrum, simulque pignus reliquarum omnium certissimum, quarum de veritate dubium nobis reliquam esse nullum potest, postquam illa euentu adeo insigni fuit comprobata, vt tarditatem beneficii grauitas compensaret et praestantia. Tot enim tantaque nulla in re simul coniuncta

iuncta sunt mirabilia, quam in admiranda illa filii Dei in humana carne  
 manifestatione, de qua merito dicimus: *οτι εδοκεν παροδοξασασθαι*  
*Luc. V. 26.* Exponet haec *paradoxa in natiuitate Iesu Christi obuia,*  
*isq; fidei argumentis animos accendet et excitabit,* orator disertus *Vir*  
*Nobiliss.* et elegantiorum litterarum cultu ornatissimus, Dn. CARO-  
 LVVS GOTTLOB FIEDLER Boernersd. Missn., sanctioris disci-  
 plinae alumnus. Cuius vt excitet auditor studium, ad beneuole au-  
 diendam eius orationem, dicto die hora XII. habendam, ILLUSTRIS-  
 SIMOS COMITES, VTRIVSQVE REIPUBLICAE PROCERES,  
 GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS ACADEMIAE CI-  
 VES, OMNESQVE LITTERARVM FAVTORES, qua par est,  
 humanitate inuitamus. P. P. Lipsi. in Natalitiorum Christi Vigilis A.  
 R. S. CIOCCCLXXXIII.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Pon Ya 1812 a


ULB Halle 3  
002 405 644  


bis 10 in 1812

Sb.







*D. Baardt*

11-15

E C T O R

EMIAE LIPSIENSIS

A D

LIVM CHRISTI

M E M O R I A M

NNI O R A T I O N E

DEC. A. N. C. CIOIOCCCLXXIII.

N A E D E P A V L I N A

R E C O L E N D A M

I N V I T A T .

*Psalmi VIII. vera sententia.*